

commodius magnitudinem eius exprimi.

PUBLIVS SYRVS.

Publium quem in Philosophis inse-
ruit Seneca ab Histrionibus non ex-
cludam, ubi propositum, ex omni homi-
num genere memoranda conquirere.
Huius equidem inter Mimos, multa tam
grauiter, tamque magnificè dicta sunt,
ut è mediis Philosophiæ fontibus eruta
videantur, & sicut est in epistolis ad Luci-
lium, non excalceatis sed ex contumatis
discenda sunt: unum eius dictum, ille lo-
cus habet:

*Alienum, inquit, est omne quod optando
euenit.*

Quid aliud hic dicit iocorum artifex,
quam Bias patria capta, nudus fugiens
(sive ille sit Stilbon) nihil eorum quæ
fortuna tribuit suum putans, quedam
eius præcepta sensibus vberiora quam
verbis in Saturnalibus annumerata sunt:
Hæc quoniam, ut ibi scriptum est, lepida
& ad communem usum accommodissi-
ma, & singulis versibus circumscripta
sunt, & breuitate & gratia ne excludan-
tur impetrant, Quæ tametsi nescio quali-
ter omnia ferè Senecæ prouerbiis infertur

L. 113